

Baro de Steinbeis Anno 1675. & Otto Sigismundus An. 1691. istam provinciam consecuti sunt. (c)

CARNIOLÆ ET ILLYRICI Falconum Magistros Barones de Panizolli renunciavit Ferdinandus II. Anno 1631. primusque ex illis Officialis fuit Octavius Panizolli. (d)

(a) *Archivum Feudal. Græzensf.* (b) *Ibi.* (c) *Ibi.* (d) *Valvasor Chron. Carniol. Lib. IX. pag. 12.*

CAPUT XV.

DE HÆREDITARIO AUSTRIÆ  
INFERIORIS SACELLANO.

**I**Nter omnes Austriae Prælatos solus Præpositus ad S. Hypolitum dignitate Hæreditaria Aulæ Capellani eminet, cujus ratione muneris Episcopo Novæ Civitatis, Evangelium & Pacem ex antiqua consuetudine Serenissimo Archiduci, festa die illa, homagio destinata, ad deosculandum porrigenti, assistere, & in convivio solenni consuetas preces coram Principe proferre solet. (a) Antiqua est hæc penes Præulem S. Hypoliti prærogativa, quo tempore autem ceperit, nobis minus notum est.

(a) *Videatur die Beschreibung des Huldigungs-Actus Anno 1651.*

CAPUT XVI.

DE SUPREMO HÆREDITARIO-  
QUE IN PROVINCIIIS AUSTRIA-  
CIS CURSORUM PUBLICORUM  
MAGISTRO.

**H**ucusque recensendis illis Officialibus, qui in Publico homagii Actu apud Austrios adhiberi solent, operam dedimus, jam ad reliquos etiam Hæreditarios Officiales, qui præterlapsis temporibus, in ista solenni Panegyri munia sua non exercuerunt, appellendus est animus. Inter illos autem agmen ducit Supremus Veredariorum seu Postarum Præfectus, quod munus Illustriss. Comitibus de Paar jure Feudali proprium ac perpetuum est. Non enim Illi Imperialis Aulæ Supremi Postarum Magistri (*Obriste Reichs Hof Postmeister*) tantum, Divorum Imperatorum beneficio creati sunt, sed etiam iisdem Sacratiss. Cæsaribus Austriacæ Stirpis, in Regnis & Provinciis Hæreditariis, splendidum istud &